DE

ELEATICAE PHILOSOPHIAE PRIMORDIIS.

C. Rosenberg

DE
ELEATICAE PHILOSOPHIAE PRIMORDIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOSOPHICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRIS PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

AD SUMMOS

IN PHILOLOGIA ET PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XI. ANTE CALENDAS APRILIS A. MDCCCXXX

INDE AB HORA XI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS ROSENBERG

VRATISLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

Meyero Isler, Phil. Cand.
Carolo Cremser, Phil. Cand.
Alberto Benary, Phil. Dr.

BEROLINI

TYPIS ACADEMICIS.

Οὔτοι ἀπ' ἀρχῆς πάντα θεοὶ θνητοῖς παρέδειξαν,
Ἀλλὰ χρόνῳ ζητοῦντες ἐφευρίσκουσιν ἄμεινον.

Ξενοφάνης.

VIRO MAGNIFICO

AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO

GEORG. FRID. GUIL. HEGEL

DOCTORI PHILOSOPHIAE PROFESSORI HUIUS UNIVERSITATIS PUBLICO ORDINARIO ET H. T. RECTORI

ET

VIRO

HUMANISSIMO ET MAXIME SPECTABILI

LIBERO BARONI A KOSPOTH

CONSULI VRATISLAVIAE PRIMARIO GYMNASII ST. MARIAE MAGDALENAE CURATORI ILLUSTRISSIMO ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI DIGNISSIMO

NEC NON

VIRO

PRAECLARO ATQUE INPRIMIS DOCTO

IO. CAR. SCHULZE

DOCTORI PHILOSOPHIAE SECRETO RERUM PUBLICARUM ADMINISTRANDARUM CONSILIARIO SUMMI SENATUS RES SACRAS ET SCHOLASTICAS CURANTIS ASSESSORI REFERENTI ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI MERITISSIMO

OPTIMARUM ARTIUM ET LITTERARUM
CULTORI ET FAUTORI

ET

VIRO

HONORATISSIMO AC SPECTATISSIMO

FRID. GUIL. KRAUSE

ADMINISTRANDARUM RERUM PUBLICARUM CONSILIARIO MERITISSIMO UNIVERSITATIS HUIUS IUDICI DIGNISSIMO ORDINIS ST. ANNAE EQUITI CLARISSIMO

ATQUE DE SE MERITISSIMO

HUNC LIBELLUM SUMMAE VENERATIONIS ANIMIQUE
GRATISSIMI TESTEM

D. D. D.

CAROLUS ROSENBERG.

LIBER PRIMUS.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

Quamquam disputaturum me de clarissimorum Graecorum in philosophia placitis, quae iam dudum a doctissimis omnis aevi viris singulari cura atque studio ab omnibus fere partibus examinata, investigata et, seu ingenii acumen seu elocutionis elegantiam spectas, paene absoluta videmus, — nec nisi pauca eaque pro animi mei tenuitate leviora fortasse ac rerum tractandarum gravitati parum convenientia disserturum, fugere nequit, in multas me easdemque iustissimas reprehensiones esse incursurum, quum in litteris, quod nec ipsius argumenti praestantia nec scribendi aliqua arte excellat, nullam mereri laudem queat, quin etiam utpote immaturum et vile repudietur: tamen spero, fore ut, si qui nullam a me operam in perscrutandis rebus relictam sentiant nec non intelligant, nonnulla tam usque adhuc indicta quam sincera et concedenda esse allata, contenti his meis ignoscant errori, quem omnino vitare humana imbecillitas frustra laborat, et si quid rectius sciant, mecum communicent, ut, id quod ad componendum hoc qualecunque meum opus vel maxime impulit, quaecunque in eo vel minus accurate indagata vel non satis enodate explicata atque exposita

animadvertantur, corrigere unaque cognitionis et scientiae amori, quem in me summum inesse sentio, satisfacere possim.

Quicunque de parte aliqua litteraturae populi alicuius recte iudicare studeat, compertum habeat necesse est, omnes et artes et disciplinas, quum ex uno eodemque fonte, intelligentiam sive rationem dico, originem ducant, arcto quodam societatis vinculo — quae est Platonis, ut ait Cicero ([1]), vera vox, contineri atque inter se cohaerere; quo fiat, ut qui temporis aut civitatis ullius ullum culturae genus penitus velit cognoscere, totam eam considerare cogatur. Sed haec ipsa, cuius modo mentionem fecimus, litteratura pendet partim ab ingenii sollertia, omni populo insiti, partim a variis casibus, de quibus historia eius politica memoriae tradidit. De his igitur, quamquam a multis iam tractatis, ideoque hîc forsitan praetereundis, mihi quoque, quippe cum aliis de iisdem disserentibus non prorsus consentienti nec, imposita scribendi necessitate, quae mihi probentur, silentio transituro, primo loco erit exponendum; praesertim quum videam, morem esse priscis non minus quam recentioribus acceptum, in prooemio saepe ea breviter attingendi, quae quidem cum proposito consilio minus arcte sint coniuncta, denuo autem perpensa et explicata multum lucis ipsi tractandae materiae sint allatura. De indole itaque Graecorum et fatis, de

([1]) Cic. de orat. III, 6; cf. Cic. pro Archia I, 2.

cultura praecipuarum civitatum in universum, de philosophiae denique initiis atque incrementis agemus.

Quum enim omnium omnis generis disciplinarum et artium, quibus et inveniendis et excolendis quid praestare posset natura humana nullo non tempore tentaverit, primordia ab ingeniosissimis illis nunquam satis admirandis Graeciae gentibus, iis praecipue, quae Asiae minoris, orae maritimae et insularum adiacentium civitates incoluere, repetantur (1); — quumque, id quod omni laude atque praedicatione dignissimum habeatur, quaecunque a feracissimis illis ac paene divinis ingeniis eximio studio ac labore indefesso excogitarentur et proderentur, ab iisdem etiam ad summum fere, quod attingere fas esset, perfectionis fastigium adducerentur; quum omnis denique, qua gaudeat nostra aetas quaque excellat cultura, licet temporum vicissitudine, morum diversitate, religionum magna discrepantia, facies eius vario modo immutaretur, originem tamen primaque initia Graecorum clarissimae antiquitati debeatur: philosophia quoque, non rudis illa, e phantasia magis indomita quam subacta ratione orta, quae nihilominus apud ceteras omnes priscas nationes (2) tam diu vigebat et vel adhuc, tanta saeculorum serie intercedente apud barbaros istos, extra

(1) Cf. Cic. de finib. bon. et mal. I, 21.

(2) Cf. Heinr. Ritter: *Geschichte der Philosophie*, part. pr. libr. II. p. 45 sqq.

Europam praecipue habitantes, populos reperitur ([1]), sed quae sola optimo iure nomen suum mereri videatur, quum contemplatione rerum naturalium occupata in causas earum, quantum quidem hominibus, intelligentia certe sed pro eorum, quae contemplanda sunt, magnitudine parum subtili instructis, datur ([2]), inquirere easque cognoscere, animi porro nostri indolem atque facultates explorare certique aliquid statuere de iis atque ceteras non minus omnes quaestiones physicas et metaphysicas proponere soleat ([3]); haec igitur vera philosophia non minus quam ceterae omnes ingenuae disciplinae ab antiquissimis illis sapientibus profecta est, a serioribus exculta ac paene absoluta.

CAPUT II.

Conscribendae historiae tria praecipue genera discernere licet, primitivum, pragmaticum, philosophicum. Ad primitivum quidem pertinent commentarii illorum, qui suae aetatis res belli domique gestas fideliter enarrant, quique, quum nihil fere referant, quod non ipsi aut cernere aut audire saltem ab aequalibus potuerint, maxima in univer-

([1]) Cf. F. A. Wolf: *Museum der Alterthumswissenschaft* I, p. 16.

([2]) Ὥσπερ γὰρ καὶ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ᾽ ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων. Aristot. metaph. II, 1.

([3]) Ἔστι γὰρ τοῦ φιλοσόφου περὶ πάντων δύνασθαι θεωρεῖν. Aristot. metaph. III, 2.

sum fide digni aestimantur. Horum vero opera in colligenda, digerenda et exponenda materia versatur, ut oblivioni eripiantur quae praeclaris excellentium virorum facinoribus et incepta sint et perpetrata eaque gratae posteritati tradantur. Quo in genere, id quod constat, maximam nacti sunt famam Graeci, inque his triumviri illi, Herodotum dico, Thucydidem et Xenophontem. De quorum virorum in conscribenda historia praestantia operae pretium est audire Ciceronem: ,,Herodotus enim ille, qui princeps hoc genus ornavit, tanta est elegantia, ut me quidem, quantum ego Graece scripta intelligere possum, magnopere delectet. Et post illum Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia facile vicit: qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione an verba sententiis illustrentur. Denique etiam a philosophia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille, qui leniore quodam sono est usus, et qui illum impetum oratoris non habet, vehemens fortasse minus sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior'' ([1]). De mira igitur, qua composita sunt, illorum opera nunquam interitura et arte et elegantia praeclare dicta reperiuntur multa; a nobis vero unum hoc monendum videtur, usque adhuc pauca pari nobilitate, maiore nulla inveniri,

([1]) Cic. de orat. II, 13; cf. Wyttenbach. praef. ad Select. hist. Graec. p. X, Opuscul. ed. Friedem. I. p. 202.

quamquam nec recentioribus desunt scripta historica, laude dignissima. — Illud vero primitivum, quod diximus, enarrandi genus eam ab causam solum non sufficit, quia quae a singulis traduntur sui temporis prospera vel adversa parvum modo spatium comprehendere queunt, et ob id, desiderio, omnem antiquitatem cognoscendi, minime satisfaciunt. Inde orta compendia. De horum autem scribendorum ratione variae sunt et discrepantes sententiae: quum alii quidem temporum, hominum, locorum, gestarum rerum monumenta colligenda tantum et in unum corpus, omnibus omnino ornamentis fere neglectis, redigenda censeant, ut conficiantur annales, ad quos componendos, ut ait Cicero, satis est, non esse mendacem, oratore autem opus non est; alii vero praeteritorum saeculorum proprietates in oratione imitandas omninoque ita exponendum de ipsis putent, ut aequalem aliquem eorum inter legendum audire credas: id quod praeter alios multos clarum Iohannem Müllerum tentasse scimus, haud infeliciter certe, ita tamen, ut labor et ars minime lateant, omneque opus naturali quodam candore careat; quod semper accidat necesse est, quum longinqua et remota tamquam praesentia et nobis consueta oculis nostris proponuntur, quia nec scriptores nec lectores penitus mentem et naturam aetatis alicuius assequi possunt. Et verum ut fateamur, consilium exsequendum historico aliud quoddam maiusque. Singula enim quae occur-

runt facta primo quidem adspectu nullo fere modo cohaerere inter se, quin potius fortuita et casu quodam evenisse videntur; sed iis qui altius descendere et verum quid sit quaerere haud detrectant, satis liquet, divina quadem providentia res humanas regi, non autem necessitate aliqua inevitabili nec casu caeco. Verum enim vero videbatur olim magna sapientia, quaecunque homines unquam in civitatibus gesserint eosque adeo ipsos parvi habendi, quasi nunquam aliquid nisi libidine et pravis cupiditatibus impulsi perfecissent. Fuit haec inter philosophos Epicureorum inprimis sententia, magna scilicet praeclaraque facinora, omnium admiratione dignissima, ob solam aut utilitatem aut voluptatem esse suscepta. Operae sane pretium est ea conferre quae apud Ciceronem ([1]) Torquatus Epicureus de causis disputat, quibus permoti multi laborem quin etiam dolorem subeundum ipsamque mortem petendam putaverint. Sed magna et illustria ingenia a paribus tantum intelliguntur ([2]). — Hinc optimi quique historici non satis habuere, res nude proposuisse, sed omnem navavere operam, ut in causas earum inquirerent, et quantum licet, immanentem iis rationalem, ut ita dicam, necessitudinem ostenderent. Constat etiam, Livium in praefatione operis sui unum id intueantur lectores velle, quibus de causis et par-

---

([1]) Cic. de finib. bon. et mal. I, 10.

([2]) Σοφὸν γὰρ εἶναι δεῖ τὸν ἐπιγνωσόμενον τὸν σοφόν. Emped. ap. Diog. Laert. IX, 20.

tum sit amplum Romanorum imperium et auctum et perditum; haud ignorantem, nullius fere pretii esse talem adumbrationem rerum, qua quomodo quaeque evenerint, neutiquam explicetur. Recte porro idem scriptor cum multis aliis censet, rerum gestarum memoriam multum valere ad mores sequentium populorum fingendos et moderandos, exque exemplis ideo in illustri historiae monumento positis multum utilitatis ad posteros redundare; licet experientia edocti bene sciamus, praeteritorum temporum fata saepissime a posterioribus esse neglecta et, id quod maioris fortasse est momenti, civitatum aliam conditionem aliis consiliis indigere, indeque seriores non totos pendere a prioribus posse.

CAPUT III.

Quae quum ita sint, non vana nobis inutilisque videtur cura atque diligentia in historiae cognitione comparanda collocata, quoniam et fuere semper et sunt vel adhuc, qui optimam eam vitae magistram habeant et vocent, nec sine causa, alia autem fortasse ac vulgo opinantur. Quis est enim, qui nesciat, omnem omnino scientiam, omnem artem, omnem denique, qua fruamur, animi culturam esse haereditariam et eorum, qui nos praecesserint, populorum sedulitate ac industria comparatam et traditam; quî itaque fieri possit, ut bene ea initiemur, si eorum ipsorum a quibus docendi simus, neque indolem neque viam, qua

ad famam apud posteros ascenderint, noverimus? quo modo porro recte de praesentibus iudicare et de futuris suspicari, si praeterita omnino ignoremus? „Caeterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, inprimis magno usui est memoria rerum gestarum. — Saepe audivi Q. Maxumum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere: quum maiorum imagines intuerentur, vehementissume sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit" ([1]). At qui veterum memoriam nihil ad nos pertinere neque esse quod ab his ad nostram conditionem permaneat censendum putant, iis opus non est, longinqua illa, a nobis modo allata, historiae monumenta mente repetere, haud nimirum ignaris eorum, quae nostris temporibus Gallis evenere, veterum rerum publicarum, Romanarum inprimis, admiratione abreptis formasque earum in sua civitate restituere ausis nec nisi sero edoctis, prisca ista partim veneranda partim reiicienda non temere esse imitanda neque eadem recentioribus ac veteribus convenire: — ut taceam, non eandem esse omnium bonorum rationem, quum alia et ea quidem humiliora ob emolumenta quae ex iis capi soleant

([1]) Crisp. Sallust. Iugurtha, 4.

quaerantur, alia autem eaque sublimiora, ad quae et liberaliores artes et litterae referantur, per se sint exoptanda et diligenda. — Tertium nunc illud historiae genus, quod philosophicum nominandum putavimus, quale sit consideremus.

CAPUT IV.

Legebatur olim in templo vetere Apollinis inscriptio, γνῶθι σεαυτόν, et omnis historia omnium temporum et populorum, quam universalem vocant, nihil est aliud nisi demonstratio, quibus gradibus genus humanum ad cognoscendum se ipsum pervenerit. Primum omnium enim de multis rebus singulis, quae nos circumdant, sensuum auxilio notitiam aliquam a dipiscimur, sed de nobismet ipsis, de insita nobis natura divina ne suspicamur quidem aliquid; donec paulatim animi attentio ab externis rebus contemplandis ad se ipsam redit, ut quale sit vere ingenium humanum intelligere discat: quam tamen intelligentiam non repente sed post longam demum saeculorum seriem nec sine magno labore assequi potuit. Perversa igitur et respuenda videtur opinio eorum, inter quos celebria quoque nomina inveniuntur, qui de statu aliquo primitivo generis humani, non feliciori tantum sed eodem etiam sapientiori, somniant, quo homines multo melius quam nunc post diuturnam disciplinam et sui et naturae omnis indolem veram noverint; id quod pie fortasse, apte autem et ingeniose minime excogitatum reperias. Hominum enim quivis, quo

nihil habeas certius, primis annis bestiarum ritu corpori modo eiusque variis iisdemque ad vivendum necessariis desideriis est obnoxius; quid? quod hominum vel nunc maior pars per totam vitam in tali conditione perseverant, ita quidem, ut paululum modo a ceterorum animalium ratione recedant, nisi talis educationis et institutionis participes fiant, qualis ad excitandas, promovendas et excolendas animi facultates exigatur. „Multi mortalium, dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transegere, quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo, quoniam de utraque siletur. Verum enim vero is demum mihi vivere atque frui animâ videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit" ([1]). Quod autem hominum unicuique accidere videamus, idem accidisse in educatione generis humani necessario sequitur. Studet igitur animus ad notionem sui ipsius pervenire, et dignum se praestare vera libertate, de qua rudes et incultae gentes, Orientis praecipue, nil recti usque adhuc sciunt; quum apud eas singuli subditorum per se nullo pretio aestimentur et soli tyranni libertate digni habeantur: quod magnum praebet documentum, divinitatem ingenii humani rem iis esse ignotam. „Τὰ δὲ περὶ τὴν Ἀσίαν διανοητικὰ μὲν καὶ τεχνικὰ τὴν ψυχήν, ἄθυμα δέ·

([1]) Crisp. Sall. Cat. 2.

διόπερ ἀρχόμενα καὶ δουλεύοντα διατελεῖ" ([1]). Quare qui primi e status naturalis ruditate prodiere Graeci in eo quoque prae ceteris principatum tenent, quod primi civium libertatem ratam esse iusserunt, adeo ut omnes eorum civitates et leges libertate quasi certo et unico fundamento uterentur. „Τὸ δὲ τῶν Ἑλλήνων γένος, ὥσπερ μεσεύει κατὰ τοὺς τόπους οὕτως ἀμφοῖν μετέχει· καὶ γὰρ ἔνθυμον καὶ διανοητικόν ἐστι· διόπερ ἐλεύθερόν τε διατελεῖ καὶ βέλτιστα πολιτευόμενον" ([2]). Liberae itaque fuere Athenae, libera Lacedaemon; sed magna admixta huic libertati servitus ([3]), quum non omnes sine discrimine incolae sed cives tantum genuini libertatis felicitate ornandi viderentur; donec nostra aetas, religionum praecipue melioribus doctrinis auctoribus, omnium omnino hominum libertatem stabiliendam putavit. — At iure dubitaveris, num unquam ad tale bonarum litterarum et artium fastigium evecti essent Graeci, nisi servorum catervis relicta omni humili, ad comparandas res ad vitam modo conservandam necessarias spectante cura, cives ingenui, liberi ab omni negotio quod mentem aut penitus obtundere aut saltem a gravioribus veraeque humanitatis culturae consulentibus studiis avertere queat, omnes in hoc esse potuissent, ut severiores disciplinas artesque liberales excolerent atque perficerent ([4]).

([1]) Aristot. Politic. VII, 7.
([2]) Aristot. l. l.
([3]) Cf. Plutarch. Lycurg. 28.
([4]) Confer quae hac de re disputavit celeberrimus et de

Quid autem senserit super his gravissimus summaeque auctoritatis iudex, Aristotelem dico, transscripsisse huc haud poenitebit: „ἐπεὶ δὲ τυγχάνομεν σκοποῦντες περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας, αὕτη δ' ἐστὶ καθ' ἣν ἡ πόλις ἂν εἴη μάλιστ' εὐδαίμων· τὴν δὲ εὐδαιμονίαν ὅτι χωρὶς ἀρετῆς ἀδύνατον ὑπάρχειν, εἴρηται πρότερον· φανερὸν ὡς ἐν τῇ κάλλιστα πολιτευομένῃ πόλει καὶ τῇ κεκτημένῃ δικαίους ἄνδρας ἁπλῶς ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ὑπόθεσιν, οὔτε βάναυσον βίον οὔτε ἀγοραῖον δεῖ ζῆν τοὺς πολίτας· ἀγενὴς γὰρ ὁ τοιοῦτος βίος καὶ πρὸς ἀρετὴν ὑπεναντίος, οὐδὲ δὴ γεωργοὺς εἶναι· δεῖ γὰρ σχολῆς καὶ πρὸς τὴν γένεσιν τῆς ἀρετῆς καὶ πρὸς τὰς πράξεις τὰς πολιτικάς" (1). Haec vero singulorum quorumque libertas seu potestas animi facultates fingendi et formandi, ad altiorem culturae gradum ascendendi, suo iure fruendi, possessiones suas tuendi et servandi, omnia societatis humanae commoda assequendi et quae sunt reliqua horum similia, haec igitur libertas non nisi in civitate eaque bene instituta cogitari et existere potest (2). Quodsi illud conceditur, facile est intellectu, salutem civitatis a civibus maximi esse habendam suaeque propriae anteponendam; aut potius, ne sibimet ipsi noceant, civitatis instituta san-

illustranda antiquitate meritissimus F. A. Wolf in: *Mus. der Alterth.* I, p. 111.

(1) Aristot. Politic. VII, 9.

(2) Aristot. de morib. I, 10; magn. moral. I, 1; politic. VII, 8; Cic. de offic. I, 25. Apud Aristot. loco postremo omnia reipublicae officia nominatim exponuntur unaque quid boni ab ea civium cuique exspectandum sit docetur.

cta habere debent, quum ipsorum commoda a civitatis salute non magis divelli queant, quam membrorum sanitas a corporis incolumitate. Ut autem suo munere fungatur respublica, civium quivis certum quoddam officium, quo ad communem omnium utilitatem aliquid conferat, subeat et curet, necesse est; unde ordines illi varii bene distinguendi semperque distincti prodeunt, quorum unus quidem est eorum, qui, universi status conservationi consulentes, rectores eius et habentur et vocantur, alter autem eorum, qui naturalibus iisque primis vitae necessitatibus operam dant, quum agros colant, e quibus alimenta capiantur, quique inde agricolae nominantur et dividuntur in duas partes, quarum altera est agri possessorum, altera agri cultorum seu rusticorum proprie ita dictorum, et tertius denique omnis generis opificum; qui ordines salutem civitatis et condunt et firmant: id quod si unquam neglexerunt populi, sibi ipsi perniciosi sunt facti. Civitas igitur quaeque vitam suam factis demonstrat, quibus locum aliquem in historia universali occupare solet. At post peracta facta et fata pereunt civitates ut singuli homines, ut alteri eique iuniori cedant.

CAPUT V.

Historiam cuiusque populi trium potissimum periodorum seu epocharum earumque diversissimarum orbem percurrere, si attente observaveris, facile invenies; quarum una continetur initiis primis

seu statu illo, quo congruentibus causis idoneis novi prodeunt populi, seu autochthones, quos Graeci dicunt, fuerint, seu ex altera terra in alteram, necessitate aliqua ingruente, migraverint, ibique novum aliquod imperium condiderint; sequenti dein temporis circuitu, florentibus ipsis viribusque, virili omni aetati propriis, instructis, casu aliquo seu fato inevitabili hostiliter concurrunt cum iis gentibus, quae antea sive externa sua magnitudine sive alia quadam ratione ceteris praestiterant principatumque tenuerant, ut eas impugnent et debellare tentent; tertia denique eademque postrema annorum serie, peracta quasi vita muneribusque suis functi, quum eadem sors omnibus ceciderit, ipsi deflorescunt et evanescunt, subacti per eos, quibus dominatio in posterum divina benevolentia conceditur: id quod Graecis evenisse statim intelliges, ubi reputaveris, e parvis ipsos originibus profectos, maximum quod tunc viguit regnum Persarum non solum ab expugnatione suarum civitatum claris illis omnium etiamnunc ore celebrandis pugnis retinuisse et vicisse, sed etiam ipsum subegisse et in ditionem suam redegisse; donec ipsi, intestinis discordiis fessi ac degeneres Romae clarissimae et post hominum memoriam potentissimae civitati succubuere.

CAPUT VI.

Namque Graeciam, quo nomine communi diversae civitates vocabantur, non amplae per mul-

cta habere debent, quum ipsorum commoda a civitatis salute non magis divelli queant, quam membrorum sanitas a corporis incolumitate. Ut autem suo munere fungatur respublica, civium quivis certum quoddam officium, quo ad communem omnium utilitatem aliquid conferat, subeat et curet, necesse est; unde ordines illi varii bene distinguendi semperque distincti prodeunt, quorum unus quidem est eorum, qui, universi status conservationi consulentes, rectores eius et habentur et vocantur, alter autem eorum, qui naturalibus iisque primis vitae necessitatibus operam dant, quum agros colant, e quibus alimenta capiantur, quique inde agricolae nominantur et dividuntur in duas partes, quarum altera est agri possessorum, altera agri cultorum seu rusticorum proprie ita dictorum, et tertius denique omnis generis opificum; qui ordines salutem civitatis et condunt et firmant: id quod si unquam neglexerunt populi, sibi ipsi perniciosi sunt facti. Civitas igitur quaeque vitam suam factis demonstrat, quibus locum aliquem in historia universali occupare solet. At post peracta facta et fata pereunt civitates ut singuli homines, ut alteri eique iuniori cedant.

CAPUT V.

Historiam cuiusque populi trium potissimum periodorum seu epocharum earumque diversissimarum orbem percurrere, si attente observaveris, facile invenies; quarum una continetur initiis primis

seu statu illo, quo congruentibus causis idoneis novi prodeunt populi, seu autochthones, quos Graeci dicunt, fuerint, seu ex altera terra in alteram, necessitate aliqua ingruente, migraverint, ibique novum aliquod imperium condiderint; sequenti dein temporis circuitu, florentibus ipsis viribusque, virili omni aetati propriis, instructis, casu aliquo seu fato inevitabili hostiliter concurrunt cum iis gentibus, quae antea sive externa sua magnitudine sive alia quadam ratione ceteris praestiterant principatumque tenuerant, ut eas impugnent et debellare tentent; tertia denique eademque postrema annorum serie, peracta quasi vita muneribusque suis functi, quum eadem sors omnibus ceciderit, ipsi deflorescunt et evanescunt, subacti per eos, quibus dominatio in posterum divina benevolentia conceditur: id quod Graecis evenisse statim intelliges, ubi reputaveris, e parvis ipsos originibus profectos, maximum quod tunc viguit regnum Persarum non solum ab expugnatione suarum civitatum claris illis omnium etiamnunc ore celebrandis pugnis retinuisse et vicisse, sed etiam ipsum subegisse et in ditionem suam redegisse; donec ipsi, intestinis discordiis fessi ac degeneres Romae clarissimae et post hominum memoriam potentissimae civitati succubuere.

CAPUT VI.

Namque Graeciam, quo nomine communi diversae civitates vocabantur, non amplae per mul-

tas regiones dilatatae terrae continentis, nec fertilis talis planitiei, quales sub mitiori Asiae coelo plures eaedemque vastissimae reperiuntur, sed angustae potius, mari penitus fere circumfluxae itemque montuosae sylvisque asperis ubique dissectae insulae speciem prae se ferre constat. Quae vero de primis eius incolis, poeticis magis fabulis decora quam certis historiae testimoniis confirmata, traduntur, obscura sunt, saepe confusa et sibi repugnantia, e quibus verum quid fuerit serus indagator haud facile eruere queat. At unum illud satis perspicuum atque compertum: antiquissimis temporibus varias migrationes gentium incertae originis mutationesque sedium, saepe repetitos hominum congressus hostiles, invasiones et expulsiones obtinuisse, priusquam istae, quae postea magis minusve inclaruere, civitates constituerentur intraque certos tandem fines includerentur, atque societates, quibus populi se invicem tuerentur, certo foedere inirentur; tantae molis erat Graecorum condere gentem ([1]). Iam si quis est qui putet, longinqua nos hodie, tanto saeculorum numero intercedente, antiquitate prohiberi, quo minus prisca illa penitus perscrutari recteque intelligere possimus, is Thucydidis, omnium historicorum facile principis, qui ut sedulo fata maiorum examinaret atque cognosceret, nihil praetermisit, prima capita, ubi de vetere Graecorum statu satis

([1]) Cf. cl. Heyne: De Graecorum origine suspiciones in Commentatt. Soc. Reg. Gotting. VIII.

accurate et acute disseruit, legat et videat, ne ipsos quidem Graecos certi aliquid de maiorum originibus novisse et comperire potuisse ([1]). Utcunque autem res se habet, initio Graecorum gentes rudes barbarasque fuisse, quae quidem ruditas penitus nunquam evanuerit, vel hinc colligere possis, quod navigatione primi inter ceteros populos liberius utentes, oras maritimas terrasque et urbes adiacentes saepe multumque rapinis et praedationibus turbabant omnemque tum societatem tum consuetudinem securam (qua quidem mercaturae commoda hodie maxime iuvantur) impediebant nullo adversante, quum, quod mireris, ne turpe quidem latrocinium haberetur, ut ipse Thucydides, testimoniis veterum poetarum potissimum innisus, ait, additis his verbis: *δηλοῦσι δὲ τῶν τε ἠπειρωτῶν τινὲς ἔτι καὶ νῦν, οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο δρᾶν* ([2]). Consentiunt cum his, quae apud Plutarchum (in Theseo VI.) leguntur, qui quidem locus dignus utique videtur qui diligentius examinetur, quum multum faciat ad cognoscendam civitatum Graecarum conditionem primam hominumque qui tunc erant mores et actiones vitae. Haec igitur morum immanitas ut paulatim leniretur, an effecit colonorum maxime eruditio ex Asia mature

---

([1]) *Τὰ γὰρ πρὸ αὐτῶν καὶ τὰ ἔτι παλαιότερα σαφῶς μὲν εὑρεῖν διὰ χρόνου πλῆθος ἀδύνατα ἦν· ἐκ δὲ τεκμηρίων, ὧν ἐπὶ μακρότατον σκοποῦντι πιστεῦσαι συμβαίνει, οὐ μεγάλα νομίζω γενέσθαι οὔτε κατὰ τοὺς πολέμους οὔτε ἐς τὰ ἄλλα.* Thuc. I, 1.

([2]) Thucyd. I, 5; Herod. II, 152, III, 39.

et Aegypto, cuius antiqua sapientia laudibus ornatur, immigrantium et pro temporum illorum conditione haud contemnendam culturam afferentium? At quum multae res in Graecorum, a doctissimis prioris et recentioris aevi viris diu multumque tractata, antiquitate usque adhuc non satis et ab omnibus omnino partibus investigatae sint et explicatae et ob noctem quandam populorum omnium originibus offusam et ob complurium veterum scriptorum magnopere lugendum interitum: tum de colonorum, qui primis temporibus in Graecas civitates immigrasse dicuntur, conditione perdifficilis iure et perobscura quaestio habetur; et quod maxime rem causamque continet, utrum a peregrinis, sub mitiore Asiae Libyaeque coelo praematura aliqua artium litterarumque cultura eruditis, hominibus vitae mansuetioris praesidia animorumque excolendorum subsidia in Graeciam allata sint, an contra quae ad humanitatem spectant Graecorum instituta, quibus tantum profecisse eos scimus ut nunquam superari posse videantur, ab ipsorum feracissima et paene divina ingenii indole et profecta sint et aucta et amplificata, inprimis magna dissensio est. Quamquam autem in animo mihi non est, rem istam tam gravem in medium prolatam, et recentioribus maxime temporibus a doctissimis Germanorum et Francogallorum viris singulari cura atque studio tractatam, denuo investigare et quid de ea statuendum sit quaerere: — fateor tamen, omnibus fere

iis quae in utramque partem saepe multumque disputata sunt, accurate et iterum iterumque lectis atque perpensis, fabulis me illis, a primis inde temporibus usque ad nostram aetatem vigentibus, de coloniis, ex Aegypto Cecrope et Danao ducibus in Graeciam deductis, magnam habendam esse fidem minime censere, sed iis potius assentiendum putare, quibus placuit, ex ipsa Graecia et quidem e Thraciae mature excultis regionibus omnis, quae postea mirum in modum aucta est, culturae primordia esse repetenda. Qui hanc rem sibi tractandam sumsere, eorum libri omnium in manibus sunt, quare ipsos nominatim hîc laudare opus non est; unus autem eorum, adhuc paucissimis fortasse notus, Schnitzler, Argentoratensis, dignus mihi videtur qui pluribus innotescat; scripsit enim doctissimam dissertationem de coloniis Cecrope Danao et Cadmo ducibus in Graeciam deductis; inserta est in versionem Germanicam historiae litteraturae apud Graecos a Schöllio editae I. p. 40 sqq. — Sed haec atque talia, licet per se investigatione et cognitione haud indigna, minoris tamen nobis sunt momenti, quam instituta ista, quibus Graeci ad tantam magnitudinem pervenire tantamque omnium temporum admirationem excitare potuerunt.

CAPUT VII.

Aristoteles philosophiam ab admiratione profectam ait; non minus autem ab eadem religio quoque originem traxisse videtur; quum vel primus

rerum naturalium adspectus hominum animos, molliores praesertim itemque mansuetiores nec sensu venusti carentes, admiratione impleret et ad repetitam contemplationem excitaret; unde suspicio, non fortuito nec sponte sed superiori quadam potestate ac providentia et procreata esse omnia et servata. Praeclare Aristotelicus ille ([1]): *ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεῶν τὰ πάντα καὶ διὰ θεοῦ συνέστηκεν, οὐδεμία δὲ φύσις αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν αὐτάρκης ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας· διὸ καὶ τῶν παλαιῶν εἰπεῖν τινὲς προήχθησαν, ὅτι ταῦτα ἐστὶ πάντα θεῶν πλέα· — σωτὴρ μὲν γὰρ ὄντως ἁπάντων ἐστὶ καὶ γεννήτωρ τῶν ὁπωςδήποτε κατὰ τόνδε τὸν κόσμον συντελουμένων ὁ θεός* ([2]). En hîc et philophiae principium et religionis ([3]), quae apud omnes fere gentes veneratio fuit naturae rerumque naturalium, stellarum inprimis, quae summo in aethere fulgent et lucent, inque his solis prae ceteris, a quo mundus illustratur, fovetur, fecundatur et ad alenda omnia procreandaque aptatur: ,,*θεασάμενοι γὰρ μεθ' ἡμέραν ἥλιον περιπολεύοντα, νύκτωρ δὲ τὴν εὔτακτον τῶν ἄλλων ἀστέρων κίνησιν, ἐνόμισαν εἶναί τινα θεὸν καὶ τῆς τοιαύτης κινήσεως καὶ τάξεως αἴτιον*'' ([4]). Hinc etiam antiquissimorum philosophorum in astronomia conamina videntur repeten-

---

([1]) Aristot. de mundo cap. 6.

([2]) Cf. Xenoph. Memorab. Socr. IV, 3; Sext. Empir. adv. Mathem. VIII. p. 325 D.

([3]) Sext. Emp. adv. M. p. 310 D.

([4]) Id. l. l. p. 312 B.

da ([1]). Et quis est quem lateat pulcherrima eademque gravissima apud Ciceronem super his sententia: „Quattuor de causis in animis hominum informatas esse deorum notiones dixit Cleanthes; quarum unam eamque vel maximam aequalitatem motus, conversionem coeli; solis, lunae siderumque omnium distinctionem, varietatem, pulchritudinem, ordinem; quarum rerum adspectus ipse satis indicaret, non esse ea fortuita. Ut si quis in domum aliquam aut in gymnasium aut in forum venerit, quum viderit omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri iudicare, sed esse aliquem qui intelligat, qui praesit et cui pareatur: multo magis in tantis motionibus tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa et infinita vetustas mentita fit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari" ([2]). Ceterum silentio praetereundum neutiquam videtur, apud Indos quoque, vel antiquissimos Orientis populos, religionem et philosophiam, arctissimo quodam vinculo nexas, a siderum veneratione originem repetere primam. Sane si doctissimi alicuius, magnam ob Indorum antiquitatem

---

([1]) Diog. Laert. II, cap. III, n. 6. de Anaxagora: *ἐρωτηθείς ποτε εἰς τί γεγένηται; εἰς θεωρίαν ἔφη ἡλίου καὶ σελήνης καὶ οὐρανοῦ*: quod magno documento esse debet, magnopere rerum coelestium sublimitate affectos esse hominum animos.

([2]) Cic. de nat. deor. II, 5; cf. ibid. insignem locum cap. 37. ubi Aristotelis sententia Latine est versa.

illustrandam cum civibusque suis communicandam famam nacti, hominis sententia, omnia nempe, quae ad cultum humanitatis spectent, longe antiquiora apud Indos quam apud Graecos fuisse, extra omnis dubitationis aleam esset posita: multum lucis Indorum scripta mythologica et philosophica, quorum quidem ingens exstat numerus, offundere posset Graecorum mythis plerumque obscuris. Sed adhuc sub iudice lis est ([1]). — Haec vero ipsa, quae ubique occurrit, rerum varietas multitudinem deorum, quorum alii alia curarent desiderare videbatur; quum propria hominum imbecillitas, totum illud et amplissimum et vastissimum universum, quo tot tantaque continentur, una eademque Unius providentia administrari et regi, opinari nequiret. Eadem igitur, quae ceterarum fere omnium religionum priscarum, Graecae quoque fuit indoles. At quum alia culturae subsidia ab externis accepisse dicuntur colonis, tum etiam magna ex parte cultum deorum deosque ipsos, ex Aegypto potissimum, si quidem Herodoto fidem habemus: quae autem in mythologia Graecorum ab ipsis Graecis sint inventa quaeve alienae originis putanda, pro certo affirmare, praesertim quum Aegyptiorum religionis doctrina non satis adhuc explorata sit, minime licet; spe tamen relicta, fore ut doctorum nostrae aetatis virorum opera, qua omnis antiquitatis cognitio tantopere tamque praeclare profecit, etiam de

---

([1]) Cf. A. Guilelm. Schlegel: praefat. ad Bhagavad-Gita p. xxv.

priscorum populorum cultu deorum aliquid certius reperiatur et exponatur. Sed qui in disserendo de Graecorum institutis semper est consulendus, Herodotus, auctor est: Homerum et Hesiodum Graecis suos deos finxisse ([1]); quod aliter intelligi nequit, quam ab illis divino spiritu (ἔνθεοι a priscis vocabantur) praeditis poetis vetustissimas de diis opiniones transformatas et in posterum stabilitas esse, id quod testimoniis multis iisdemque firmissimis probatur ([2]). Sin autem idem scriptor, Graecorum deos ex Aegypto in Graeciam translatos esse affirmat, nimia Aegypti veneratione in errorem inductus esse videatur.

CAPUT VIII.

Homerum nec non Hesiodum in varias incurrisse reprehensiones, quod deos nefariis sceleratisque animi cupidinibus repletos esse docerent, verbo saltem monuisse sat erit ([3]). At licet negari nequeat, poëtarum commenticia multum dignitatis puritatisque religioni detraxisse, tamen habet, quo ceterorum populorum priscorum de diis sententiis praestet. Quum enim aliae Orientis maxime gentes in

---

([1]) οὗτοι δὲ Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρός εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι. Herod. II. 53. cf. Platon. Tim. 22 B.

([2]) Cf. Wachsmuth: *Hellenische Alterthumskunde* I. p. 305.

([3]) Sext. Empir. adv. Mathem. p. 57, Aristot. Metaphys. XII, 8. Cicer. Brut. I, 26: Fingebat Homerus et humana ad deos transferebat, divina mallem ad nos. Id. de nat. deor. II. 28.

venerandis naturae viribus, quas ipsas per se deos esse censerent, perseverarent, quumque, id quod in Aegyptios praecipue cadit, animum et corpus aut naturam et mentem recte disjungere nequirent; quod nisi fuisset, non tam res naturales certe quam insitam iis mentem coluissent, quum illae per se veneratione nulla dignae videri possint: Graeci contra primi intellexere, Deum vere esse mentem eamque non cum natura confusam sed hanc ipsam subiicientem ac regentem; quare pantheismum quidem, ut tali verbo utar, Graecorum religionem recte nominaveris sed eundem sapientem et rationalem, qui omnibus quidem rebus naturalibus divinitatem aliquam inesse, sed ipsas per se divinitates nullas esse constituerit. — Cogitabantur porro dii sub figura humana, qua pulchrior nulla ne cogitari quidem potest; id quod, quum artifices in fingendis deorum simulacris omnem consumerent operam, multum ad perficiendas artes valuit, licet ob illam, qua deorum figuras oculis proponere auderent, rationem Graeci non a recentioribus modo sed iam a priscis multifariam reprehensi sint; cuius reprehensionis gravissimum pulcherrimumque exemplum exhibent Empedoclis Agrigentini versus nonnulli ([1]), quos ut reliquos omnes in hac dissertatione citatos, mea qualicunque vernacula versione interpretari conabor:

([1]) Servati sunt hi versus ab Ammonio ad Aristot. περὶ ἑρμηνείας fol. 54. a. ed. Ald. Venet. 1503 et a Stephano in poes. philos. p. 30.

οὔτε γὰρ ἀνδρομέῃ κεφαλῇ κατὰ γυῖα κέκασται,
οὐ μὲν ἀπαὶ νώτων γε δύο κλάδοι ἀΐσσουσιν,
οὐ πόδες, οὐ θοὰ γοῦν', οὐ μήδεα λαχνήεντα·
ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ καὶ ἀθέσφατος ἔπλετο μοῦνον,
φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσι.

Nimmer zierte die Glieder ein menschliches Haupt wohl dem Gotte,
Niemals entsprossten vom Rücken ein Paar ihm gewaltiger Arme,
Eben so wenig auch Füsse, nóch schnellere Schenkel noch Schamtheil:
Denn unnennbarer heiliger Geist ist allein er und durchaus,
Stürmend mit raschen Gedanken durch sämmtliche Theile des Weltalls.

Melior haec aptiorque Graecorum sapientibus de vero Deo suspicio a Pythagora, si quidem Plutarchus vera tradidit, profecta esse videtur ([1]). Ipse autem Empedocles, quod apud ómnes constat, Pythagorica disciplina imbutus fuisse fertur.

Quod tamen, ut ad propositum redeamus, rectius vituperationem mereri videtur, est morum perversitas humilesque affectus atque libidines, quibus dii obnoxii putabantur ([2]). At tempora et ingenia nec laudari nec vituperari, sed examinari atque intelligi volunt.

([1]) Οὔτε γὰρ ἐκεῖνος (Πυθαγόρας) αἰσθητὸν ἢ παθητὸν, ἀόρατον δὲ καὶ ἀκήρατον καὶ νοητὸν ὑπελάμβανεν εἶναι τὸ πρῶτον· οὗτός τε (Νούμας) διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα θεοῦ Ῥωμαίους νομίζειν. Plut. Numa. 8.

([2]) Cf. Fraguier: *sur les dieux d'Homère* in: *Memoires de l'acad. des inscr.* T. IV.

CAPUT IX.

Magna inter barbaros Orientis et qui Occidentis felicissimas regiones occupavere Graecos discrepantia quum innumeris aliis tum maxime formarum politicarum diversitate ostendi potest, quum apud illos quidem servitus, hîc contra libertas omnium norma atque regula regendarum civitatum fuerit. Libertas autem civium quid sit, Aristoteles nos his edocet: ,,Ἓν μὲν οὖν τῆς ἐλευθερίας σημεῖον τοῦτο, ὅτι τίθενται πάντες οἱ δημοτικοὶ τῆς πολιτείας ὅρον, ἓν δὲ τὸ ζῆν ὡς βούλεταί τις· τοῦτο γὰρ τῆς ἐλευθερίας ἔργον εἶναί φασιν, εἴπερ τοῦ δούλου ὄντος, τὸ ζῆν μὴ ὡς βούλεται. — ἐντεῦθεν δ᾽ ἐλήλυθε τὸ μὴ ἄρχεσθαι, μάλιστα μὲν ὑπὸ μηδενός, εἰ δὲ μὴ κατὰ μέρος" ([1]). Ceterum eadem fere ratione libertatem definitam reperimus apud Ciceronem: ,,Quid est enim libertas? potestas vivendi ut velis" ([2]). Quaeritur autem, cur quum sine causa aliqua idonea nihil quod sit maioris momenti, fieri soleat, illa potissimum democratiae, quam dicunt, forma usi sint Graeci, aut quod eodem redit, quomodo cohaereat democratia cum Graecorum nativa indole? De hac graviori nec facile dissolvenda quaestione illustrissimus atque harum rerum peritissimus Montesquieu in celeberrimo libro, qui inscriptus est: *esprit des lois*, praeclare disseruit et docuit: principium et fundamentum quasi democratiae esse virtutem. Quodsi huius virtutis notionem cognoscere velis, altius inquirere, qualis sit, necesse est.

(1) Politic. VI, 2.
(2) Cicer. Parad. V.

Namque secundum vulgarem eius significationem, qua quidem recti faciendi facilitas quaedam, exercitatione assidua comparata, esse videtur, nemo viderit, Graecos ea ceteros magnopere superasse, quum contra talibus assueverint vitiis, qualia iure a vera humanitate abhorrere putemus, et quod magis mireris, ne suspicati quidem sint, turpibus se indulgere consuetudinibus. Cernitur autem ista ab isto philosopho dicta virtus in eo, quod persuasum est civibus, ad moralitatem se civilem exercendam et custodiendam esse destinatos, ideoque et mores maiorum et reipublicae instituta sacrosancta non unquam violanda censent, indeque et vivere pro patria et mori primarium sibi officium habent. Eandem ob causam omnes, libertate in rebus publicis ornati, participes illarum regendarum et erant et ob civium paucitatem, quum nimirum civitatis et urbis eadem fere esset notio ([1]), esse poterant. Vel hinc facile est intellectu, nostris per multas terras porrectis imperiis democratiam non convenire, quum in tanta suffragiorum multitudine, maiore suffragantium parte vincente minorem, unus certe solus, licet sapientissimus sit et reipublicae administrandae peritissimus, nec sapientia nec publicae utilitati consulente sua voluntate quidquam efficere valeat, ideoque optimus quisque ad retinendam plerumque suam sententiam inducatur, haud operae pretium existimans cum imperitis numeris

---

([1]) Cf. sis A. Boeckhii V. C. *Staatshaush. der Athener* I, p. 244; Wachsmuth: *Hellen. Alterthumsk.* I, 100.

certare, nec ipsum se numerum modo reddere cupiens. Pulcherrimum igitur illud Anacharsis apud Plutarchum ([1]): Λέγουσι μὲν οἱ σοφοὶ παρ' Ἕλλησι, κρίνουσι δὲ οἱ ἀμαθεῖς. Quodsi haec nobiscum reputamus, non tam libertatem, quod est summum civis cujusque bonum, apud illos Graeciae populos, Athenienses maxime, obtinuisse, quam licentiam, qua quidem deteriores omnes fiant ([2]), quum quodcunque inciderit in mentem exsequi velint, neque id perpendant, pravumne an rectum sit, quod petant, satis superque apparet; id quod pluribus, de quibus memoriae proditum est, exemplis probari possit, quorum gravissimum exstat apud Xenophontem ([3]). — Attamen ne Graecis quidem illa de summis rebus exsequendis plebiscita sufficere videbantur, haud fortasse ignaris, vulgarem civium, etiamsi patriae saluti maxime faventium, prudentiam imparem esse tanto reipublicae gubernandae muneri; quare ad majorem aliquem arbitrum, ipsum scilicet Deum, provocandum censebant, quoties quidem gravius aliquid agebatur, sive quum bellum suscipiendum vel pax componenda vel coloni deducendi vel leges novae constituendae essent. „Athenienses omnibus semper publicis consiliis divinos quosdam sacerdotes, quos μάντεις vocant, adhibuerunt: et Lacedaemonii regibus suis augurem assessorem dederunt, itemque senibus

([1]) Plut. in Solone IV.
([2]) Terent. Heaut. Act. III, Sc. I, 74.
([3]) Xenoph. Memorab. I, 1, 18.

(sic enim consilium publicum appellant) augurem interesse voluerunt; iidemque de rebus maioribus semper aut Delphis oraculum aut ab Hammone aut a Dodona petebant"(1). Atque ut ipsi dii fato obnoxii, sic homines quoque superiori cuidam potentiae subiiciendi videbantur.

CAPUT X.

At non oraculis modo sed etiam plurimorum subditorum servitute laudata illa Graecorum libertas magnopere limitabatur. Namque hodie quivis etiam infimi loci civis libertate vere humana ac civili dignus habetur: apud priscos contra paucissimos tantum suo iure usos esse constat, quum magnus hominum numerus servitute eaque saepe molestissima premeretur inque humillima conditione versaretur, teste ipso Aristotele: *Τίς μὲν οὖν ἡ φύσις τοῦ δούλου καὶ τίς ἡ δύναμις, ἐκ τούτων δῆλον· ὁ γὰρ μὴ αὑτοῦ φύσει ἀλλ' ἄλλου, ἄνθρωπος δέ, οὗτος φύσει δοῦλός ἐστιν· ἄλλου δ' ἐστὶν ἄνθρωπος, ὃς ἂν κτῆμα ᾖ ἄνθρωπος ὤν· κτῆμα δὲ ὄργανον πρακτικὸν καὶ χωριστόν* (2). Homo igitur hîc et vocatur et habetur instrumentum. Nec ideo qui in scientia de rebus politicis excelluere, Aristotelem dico atque Platonem, de libertate hominibus concedenda aliter senserunt ac ceteri; quamquam negari nequit, ut supra monuimus, veterum respublicas servis carere minime potuisse, quum multas alias ob causas tum

(1) Cicer. de divinat. I, 43.
(2) Aristot. Politic. I, 4, extr.

etiam quod civium fere maior pars otiosa erat, nec ullum paene negotium, quo necessitatibus vitae consuleretur, dignum quod ab iis ageretur arbitrabantur cives ([1]). Praeclare disseruit hac de re Plutarchus ([2]): Κωλύει δὲ οὐδὲν τὸν ἀγαθὸν καὶ πολιτικὸν ἄνδρα μήτε τῶν περιττῶν τὴν κτῆσιν ἐν σπουδῇ τίθεσθαι, μήτε τῆς χρείας τῶν ἀναγκαίων καὶ ἱκανῶν καταφρονεῖν· ἐν δὲ τοῖς τότε χρόνοις, καθ᾽ Ἡσίοδον ([3]) ἔργον οὐδὲν ἦν ὄνειδος, οὐδὲ τέχνη διαφορὰν ἔφερεν· ἐμπορία δὲ καὶ δόξαν εἶχεν, οἰκειουμένη τὰ βαρβαρικὰ καὶ προξενοῦσα φιλίας βασιλέων καὶ πραγμάτων ἐμπείρους ποιοῦσα πολλῶν κτλ. — Sin autem aliquis ut defendat institutum illud, hîc contradicat, Athenis plerumque servos leniter tractari esse solitos, is non videat, quid a nobis agatur: non enim de lenitate Atheniensium in servos sed de servitute, num hominibus omnino digna sit, quaeritur. — At quum libertas civium illa coniuncta esset cum aequalitate omnium, ita quidem ut nullus, licet magnopere de ceterorum omnium salute mereretur, maiorem ideo in republica auctoritatem atque potentiam nancisci debere; id quod legibus quidem constitui, re autem vera effici nequit, quoniam ipsa plebis, etiam prudentissimae, multitudo negotiis publicis, iis praesertim, quae scientiam aliquam peculiarem seu artis

---

([1]) Ἡ ἀργία ἀδελφὴ τῆς ἐλευθερίας ἐστί. Aelian. Var. Histor. X, 14; cf. memorabile illud apud Plutarch. in Lycurgo 24: τέχνης μὲν ἅψασθαι βαναύσου τὸ παράπαν οὐκ ἐφίετο.

([2]) Plut. in Sol. 2.

([3]) Hesiod. op. et d. v. 309.

alicuius cognitionem requirunt, necessario impar reperitur, semperque idcirco unum(1) aut plures, qui eam suis consiliis dirigant et consulta aut ipsi exsequantur aut quomodo exsequenda sint doceant, desiderare et quaerere eam oportet: fieri non potuit, quin invidia et obtrectatio, quibus in publica commoda nihil unquam perniciosius, tantopere augeretur quantopere aliquis gloria, sive magnis in bello facinoribus sive in pace animi virtutibus sive quacunque alia ratione parta, praestare ceteros omniumque aequalitati, qua quidem nihil haberetur optabilius, nocere videretur. Meminerint lectores eorum, quae apud Ciceronem de Ephesiis traduntur(2): universos nempe Ephesios esse morte mulctandos, ex Heracliti sententia, quod quum ex civitate expellerent Hermodorum, ita locuti sint: Nemo de nobis unus excellat, si quis exstiterit, alio in loco et apud alios sit. — Hoc sane Ephesiorum decretum omnibus omnino Graecorum civitatibus placuisse videtur. Iam ex his, quantum equidem sentio, satis enucleare licet, quid sit, quod excellentium virorum, per totam fere Graeciam fama celebratorum, publice institutae laudationes non tam horum in rempublicam merita, quam ipsarum urbium, quarum essent cives, gloriam extollere laudibusque maiores potius

(1) Cf. verissimum illud Thucydidis de Periclis administratione iudicium: *ἐγίγνετο δὲ λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.* Thucyd. II, 65.

(2) Cicer. Tusc. V. 36.

quam ipsos prosequi solerent (1). Haec est etiam causa, ob quam victorum in ludis mentio in ipsis encomiis fit perquam breviter verbisque paucissimis (2). — Ex ista autem invidia ortus est mos, omnes qui ob merita licet sanctissima nimis excellerent et propterea praegravare ceteros minarentur, e societate communi excludendi et, quo publicae securitati consuleretur, in decem annos per ostracismum, quem vocabant, in exilium pellendi: id quod, quum ita optimi quique e civitate eiicerentur suarumque virtutum praemia caperent indignissima et omnibus ceteris sui similibus exemplar turpissime neglectae gratitudinis ostenderent, meliores prudentioresque sensim deterrere atque civitatem sapientissimorum consiliis privare, detrimentum denique atque interitum rebus publicis moliri debebat.

CAPUT XI.

In illa, quam supra memoravimus, civitatum Graecarum multitudine duae imprimis eaeque potentissimae atque aemulae, Athenae et Lacedaemon, iam a priscis qui de rerum publicarum gerenda-

---

(1) Cf. Thucyd. II, 35. Hinc praeclare, ut omnia, Pindarus in Pyth. I, 81. sqq.:

καιρὸν εἰ φθέγξαιο, πολλῶν πείρατα συντανύσαις
ἐν βραχεῖ, μείων ἕπεται μῶμος ἀνθρώπων. ἀπὸ γὰρ κόρος ἀμβλύνει
αἰανὴς ταχείας ἐλπίδας.
ἀστῶν δ' ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύνει μάλιστ' ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις.

(2) Cf. quae hac de re doctissime disseruit Fr. Thiersch V. C.: Πινδάρου τὰ σωζόμενα I, p. 125.

rum ratione scribebant, quod ad proprietates utriusque attinet, accurate considerabantur et diiudicabantur: id quod a Platone potissimum et Xenophonte factum esse scimus. Uterque autem, etsi ipse Atheniensis, instituta, quae Lacedaemone obtinebant, maioris pretii quam Athenarum habet ([1]); quum unitatem et omnium aequalitatem universalem, quam vel maxime e republica esse censerent, apud Lacedaemonios multo melius servari intelligerent, quam apud Athenienses. Decipiuntur vero externa rerum specie, nec quid vere usui sit civitati cuique duraturae satis perspiciunt([2]). At nos, de hominibus eorumque in civitate societatibus longe aliter sentire assueti, etsi nec Atheniensium legislationem omni errore caruisse scimus, ipsorum tamen instituta politica perfectiora et ad felicitatem omnium aptiora omninoque verae humanitati magis convenientia fuisse fateri cogimur. Non igitur ii sumus, quibus Ciceroni ([3]), Lacedaemonios laudibus celebranti, quod soli toto terrarum orbe septingentos iam annos amplius unis moribus et nunquam mutatis legibus vivant, assentiendum videatur. Humana

---

([1]) Sed ne Lacedaemoniorum quidem rempublicam comprobatam esse ab illo philosophorum principe ex ipsius verbis, in epistola illa praeclara ad Dionis propinquos obviis, quibus quidem libere fatetur, animadvertisse se omnes omino civitates male gubernari (ὅτε κακῶς ξύμπασαι [αἱ πόλεις] πολιτεύονται), satis, ut equidem existimo, liquet.

([2]) Cf. A. Boeckhii V. C. *Staatsh. d. Athen.* II, p. 146 sq.

([3]) Cic. or. p. Flacc. 26.

enim instituta omnia ea sunt, quae in aeternum manere neque possint neque debeant, si quidem hominum saluti vere inservire velint; immutatis certe civitatis alicuius statu et conditione nec mores nec leges temporis acti cum civium communi commodo retinentur. Quanto igitur melius Solon legislatoris munere functus sit, quum magistratus quosdam, nomothetarum nomine appellatos, qui singulis annis leges recenserent unaque quae retinendae quaeque abolendae essent quaererent, quin etiam novas si forte opus esset, ferrent, constituendos curavit, facile intelligitur. Mature Athenienses virorum fortissimorum, quorum nomina neminem latent, consiliis animi attentionem intenderant ad mare, inque eo futurae magnitudinis posuerant spem, quae ipsos nequaquam fefellit. Negari sane inquit, divitias mercaturae potissimum quaestuosae emolumentis partas, ad pristinam morum integritatem deterendam luxuriamque et cuiusvis generis libidines propagandas totiusque denique reipublicae perniciem accelerandam multum contulisse: sed quantacunque fuerunt incommoda, cum maiori opulentia semper coniuncta, tamen nullus est quin videat, Athenienses nisi nacti fuissent talia praesidia, sine quibus vel optima voluntas nihil boni perficere potuisset, et quorum auxilio liberales, ab ipsis fere profectae, artes et litterae et excitarentur et iuvarentur, — tali praestantissimorum ingeniorum copia abundare non potuisse. Quodsi Athenienses posthac in bello, quod florem

Graeciae delevit, omnes vires debilitavit, tantamque omnibus consociatis civitatibus cladem intulit, ut nec mala postea nec remedia pati possent, inferiores discessisse et Lacedaemoniis succubuisse audimus: hoc certe magna ex parte vitiosis ipsorum institutis tribuendum arbitramur; at Lacedaemoniorum leges, a Lycurgo, nec ingenio nec rerum publicarum administrandarum arte aequante Solonem, institutas, quum non solum nihil ad leniendam naturalem populi ruditatem fecissent, sed etiam auxissent eam et firmassent, non minoribus laborasse vitiis perspicuum est ([1]). Quo factum est, ut brevi post captas Athenas Lacedaemon quoque, ob durum imperium apud omnes invisa, a Thebanorum eximiis ducibus debellaretur et ab usurpata dominatione detruderetur; donec Philippus, Macedonum rex, cuncta discordiis civilibus fessa sibi subiicienda paravit, opusque inceptum, a quo quidem perficiendo mors ipsum praematura avocavit, ipse magnus pater maiori filio Alexandro patrandum tradidit: qui alter Achilles imperio, sibi commisso, ita utendum est arbitratus, ut populorum omnium, quos aut armorum vi aut metu subiiceret, saluti non minus quam gloriae suae consuleret. Quae enim et quanta fuerint ipsius, de propaganda per amplissimas latissimeque patentes regiones Graecorum cultura, omnium ore celebrata merita, nemo ignorat.

([1]) Herod. VI, 67, Plut. Ages. 1.



CAPUT XII.

Philosophiam nos, ut primum omnium quae sit eius notio quaeramus eamque definire tentemus, contemplationem dicimus rerum rationalem, qua quid vere sint, intelligatur. Hanc autem definitionem, quum ab aliis aliam profectam videamus, ex ipsius Aristotelis verbis recte elici posse arbitramur: „Ὀρθῶς δὲ — ait ille — ἔχει καὶ τὸ καλέσαι τὴν φιλοσοφίαν ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας θεωρητικήν· θεωρητικῆς μὲν γὰρ τέλος ἀλήθεια" ([1]). At quum hoc intersit inter hominem ceteraque animantia, quod solus ille ratione gaudet: nihil omnino contemplari posse nisi ratione adiuvante videmur, ita quidem ut quum vocem *rationalem* supra poneremus, supervacanei aliquid addidisse videamur. Sed ratio seu cogitatio vulgaris magnopere differt a ratione philosophica, quum altera quidem externas rerum species, sensa visaque (Graeci *φαινόμενα* vocant) percipiat, altera contra internam ipsarum indolem (*νοούμενα*) perspiciat et ad penitus eas cognoscendas progrediens, quid vere sint, investigare conetur. Haec vero perscrutatio, si modo recte instituitur, veritatem quidem ipsam attingit, sed eam non admodum facili negotio. Hinc fit, ut philosophorum nullus materiam aliquam, in medium prolatam, ab omnibus omnino partibus exploret atque absolvat, sed unusquisque eorum ad formandam, explicandam et amplificandam doc-

---

([1]) Aristot. Metaph. II, 1.

trinam, communi tantum omnium studiis atque labore perficiendam et absolvendam, quantum potest conferre studeat ([1]).

Definita philosophiae notione, suo loco pluribus illustranda, iam historia philosophiae quid sit quaeritur. Quae quidem quaestio ita dissolvi posse videatur, ut sit: expositio nascentis, augescentis et perfectionem attingentis philosophiae. Est igitur haec ut omnis historia enarratio factorum, nec nisi propria suorum factorum, sola nempe cogitatione contentorum, natura differt; id est, quum in omnibus aliis artibus vel disciplinis res cognoscendae cognoscantur ita, uti experientiae, sensibus in auxilium vocatis, se offerant, quarum idcirco cognitionum veritas non omni ex parte stabilita esse possit, quia quae sola experientia nitantur, aliorum rursus alia experientia everti atque refelli posse videntur, philosophia contra in illa non acquiescit, sed partas iam ac comparatas rerum cognitiones sedulo examinat, ut insitam rebus naturam vel essentiam (venia sit verbo) pervestiget. Quae quum ita sint, cogitationes philosophiae seu philosophi, si modo recte concipiantur, non subiectivas sive subiecto cogitanti proprias sed obiectivas esse sive res ipsas, in quas inquiratur, continere patet. Est igi-

---

([1]) *Περὶ τῆς μὲν ἀληθείας θεωρία τῇ μὲν χαλεπή, τῇ δὲ ῥαδία· σημεῖον δὲ μήτε ἀξίως μηδένα δύνασθαι τυχεῖν αὐτῆς, μήτε πάντας ἀποτυγχάνειν, ἀλλ᾽ ἕκαστον λέγειν τι περὶ τῆς φύσεως καὶ καθ᾽ ἕνα μὲν μηδὲν ἢ σμικρὸν ἐπιβάλλειν αὐτῇ· ἐκ πάντων δὲ συναθροιζομένων γίνεσθαί τι μέγεθος.* Aristot. Metaphys. II, 1.

tur, ut summam repetamus, philosophia essentiae rerum cogitatio, et historia philosophiae viam, qua ratio humana ad ea, quae in philosophia consequi studeret, pervenerit, demonstrare conatur. At hîc contradici solet, essentiam seu veram rerum naturam intelligi non posse, quum, ut ait apud Ciceronem Democritus, natura in profundo veritatem penitus abstruserit, quare ab hominibus visa tantum animadvertantur sensibus, quibus scientia nulla possit comparari, auctore Aristotele: „Ἔτι δὲ τῶν αἰσθήσεων οὐδεμίαν ἡγούμεθα εἶναι σοφίαν, καίτοι κυριώταταί γέ εἰσιν αὗται τῶν καθέκαστα γνώσεις, ἀλλ᾿ οὐ λέγουσι τὸ διὰ τί περὶ οὐδενός" (¹). Veritas igitur homini nulla est relicta: id quod vel ex eo colligi posse videatur, quod tot sint philosophiae eaeque diversissimae inter se seque invicem tollentes, quarum unaquaeque contendat, se solam esse veram; unde appareat, nullam omnino veram esse, nec quid sit verum, investigari posse (²). Omnis igitur labor in perscrutandis rebus si frustra collocatur, tum certo sapientis vita, veritatis luce, qua nihil est dulcius, ut ait Cicero, orbata, miserrima videatur. „Ergo hi qui negant, quidquam posse comprehendi, haec ipsa eripiunt vel instrumenta vel or-

---

(¹) Aristot. Metaph. I, 1. cf. Sext. Empir. adv. Math. p. 200.: „αἰσθήσεσι μὲν οὖν μόναις λαβεῖν τ᾿ ἀληθὲς οὐ δύναναι" Platon. Theaet. sub fin., Phaed. p. 49 ed. Ff.

(²) Πῶς δ᾿ οὐχὶ καὶ ἡ περὶ τῶν ἀνωτάτων πραγμάτων διαστάσις παρὰ τοῖς φιλοσόφοις ἀφαιρεῖται τὴν τῆς ἀληθείας γνῶσιν; Sext. Emp. l. c. p. 205.

namenta vitae, vel potius totam vitam evertunt funditus" ([1]).

Verum enim vero haec de humani ingenii in philosophia imbecillitate deque eius investigandi veri impotentia pervulgaris est sententia et a priscis et a recentioribus iterum iterumque repetita. At haec de philosophia eiusque pretio — nullius autem est, si unum illud, quod expetunt omnes, verum quid sit, inveniri nequit — sententia, quamvis latissime diffusa, infirma tamen nec e solida rei, de qua dubitatur, cognitione profecta esse videtur. Namque comparari fortasse potest, ut omnis scientia, sic etiam philosophia cum arbore pomifera eademque felici nec non salutari ad nutriendos recreandosque homines: germen igitur, ab agricola humo creditum, non statim ex se frugem illam unice desideratam et exspectatam procreat, sed sensim sensimque primo truncum, totius plantae fundamentum quasi, ramos deinde frondesque, tum florem et postremo denique, exacto toto orbe, frugem, qua continetur rursus germen

---

([1]) Cicer. Academ. Quaest. II. Nec abhorret a vero praeclarum illud apud Platonem in Men.: *οὐκ οὖν δεῖ πείθεσθαι τούτῳ τῷ ἐριστικῷ λόγῳ* (nempe quo Megarici probare ausi sunt, nihil posse in philosophia investigari, *ὡς οὐκ ἄρα ἐστὶ ζητεῖν ἀνθρώπῳ, οὔτε ὃ οἶδεν οὔτε ὃ μὴ οἶδεν· οὔτε γὰρ ἂν, ὅ γε οἶδε, ζητοῖ· οἶδε γὰρ καὶ οὐδὲν δεῖ τῷ γε τοιούτῳ ζητήσεως· οὔτε ὃ μὴ οἶδεν· οὐδὲ γὰρ οἶδεν, ὅ,τι ζητήσει.* Men. p. 80 E) · *οὗτος μὲν γὰρ ἂν ἡμᾶς ἀργοὺς ποιήσειε, καὶ ἐστι τοῖς μαλακοῖς τῶν ἀνθρώπων ἡδὺς ἀκοῦσαι· ὅδε δὲ ἐργαστικούς τε καὶ ζητητικοὺς ποιεῖ· ᾧ ἐγὼ πιστεύων ἀληθῆ εἶναι, ἐθέλω μετά σου ζητεῖν κτλ.*"

vel semen, a quo omnia paulatim gignebantur. Ineptum certe foret, si quis naturam ob tardam lentamque illam viam, qua in generandis omnibus procedit, accusare et postulare velit, ut subito, itineris necessarii spatio neque emenso neque omnino calcato, ad finem perveniat: sic et ii, qui facultates homini concessas non respicientes neque secum reputantes, sine labore nihil generi humani tribuisse deos ([1]), a sapientiae initiis primis eandem perfectionem exspectant, quam non nisi post longam saeculorum seriem multaque conamina, diligentiae indefessae documentum prae se ferentia, consequi fas est. Quum nemo nostrûm iam eruditus et sapiens, immo vero omnium rerum inscius et rudis nascatur, nec statim e cunabulis seu puerili aetate egressus ad doctrinae fastigium provehi possit sed gradatim, a simplicibus proficiscens elementis et a facilioribus ad difficiliora quaeque progrediens, singulas disciplinas àddiscere iisque imbui debeat, ita quidem ut sit eruditio, ad exitum paene vitae comparata, totum aliquid et unum ex variis interque se diversis partibus constans: tum etiam omnes, qui unquam ingenio excelluere et philosophiae operam dedere ab antiquissimis inde ad nostra usque tempora, homines pro viribus suis ad formandam excolendamque sapientiam, proprie sic dictam, contulere, non autem ipsam confecere, prae-

([1]) Τῶν γὰρ ὄντων ἀγαθῶν καὶ καλῶν οὐδὲν ἄνευ πόνου καὶ ἐπιμελείας θεοὶ διδόασιν ἀνθρώποις. Xenoph. Memorab. II, 1, 28, Hesiod. op. et d. 287 sqq.

sertim quum nihil omnino ab omnibus partibus perfectum atque absolutum esse queat; donec recentiores non sine summa contentione aliquid certius et praestantius et quod innato nobis scientiae amori (1) satisfacere magis videatur, eruere atque cognoscere potuerunt. Varietas itaque rationum philosophicarum seu placitorum philosophorum ideo in unitatem redigenda et una fere eademque philosophia putanda est; quoniam philosophi, licet maxime dissentirent, attamen studiis suis unum semper et idem, sapientiam dico, quaerere tentabant. Omnia sane placita vere philosophica suo tempore et proficua erant et necessaria; sed systema quoddam vetus hodie renovare, minime esset consentaneum, quoniam et virum adultum in pueritiam rursus descendere dedecet.

CAPUT XIII.

Quae igitur e philosophorum discrepantia repetitur dubitatio de virtute philosophiae rerum indagandarum veram indolem cognoscendi, accuratius examinata evanescat necesse est, quum credita ista discrepantia ficta fere sit et ex inscitia aut ingeniorum pravo acumine orta. At maioris momenti dignioresque quae et ponderentur et perpendantur sunt impugnationes recentium empiricorum, quorum duplex est genus, et alterum quidem e criticismo, quem vocant, ab illustrissimo

(1) Πάντες γὰρ ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. Aristot. Metaph. I, 1. Cic. de fin. IV, 7.

omniumque admiratione dignissimo Kantio condito, alterum autem e scepticismo, ab Humio potissimum renovato, profectum ([1]).

De eruditissimorum autem virorum, quorum gravissima est in talibus rebus auctoritas, sententia, nulla omnino philosophia per se est reiicienda, sed potius quid veri in unaquaque lateat explorandum et agnoscendum, visque eius in formandam locupletandamque doctrinam investiganda, quum nihil quod ratio humana unquam procreaverit, penitus perire, nullis prorsus relictis vestigiis, posse videatur. Et profecto, si ex veteribus illis philosophorum rationibus nihil ad nos pertineret, nihil in nostram disciplinam transiisset, haud esset operae pretium, praeterita ista et quasi mortua curare tantoque labore ex antiquitatis obscuritate in praesentiae lucem protrahere.

Uti vero ipsa philosophia seu veri cognoscendi disciplina, a simplicibus iisque rudibus et incultis initiis profecta, sensim ad maiora eademque sublimiora processit: sic etiam historia philosophiae, eandem secuta viam, ab elementis nos ad incrementa et fastigia sapientiae longo itinere ducit; quare, quoniam in ipsa eadem progressio necessaria reperitur, systema quoddam est rationale seu scientia philosophica. Recte itaque dici arbitror, historiam philosophiae non nisi a philosophis esse

([1]) De utroque disseruit Hegelius V. C. in: *Encyclopädie der philosophischen Wissenschaften* ed. alt. §. 37 sqq.

scribendam, quoniam qui ipse philosophia caret, nec intelligere satis philosophos nec placita eorum bene tradere potest. Et verum ut fatear, inanis mihi videtur gloriola scriptorum historiae philosophiae ista, quam prae se ferunt, animum se in enarrandis variis philosophorum rationibus ab omni partium studio alienum eundemque aequum iustumque servare; quî enim possit aliquis philosophi aut historici nomen sibi vindicare, illis virtutibus destitutus? Quum vero in historia politica componenda illa tantopere laudata nec tamen bene intellecta aequabilitas seu potius indifferentia, quae sine ira et studio res gestas describat, ideo non omnino probari possit, quod bonorum et malorum facinorum non eadem est conditio neque idcirco eadem omnino ratione scriptoris animum afficiunt nec afficere debent, cum contra optimus quisque boni sit studiosissimus ideoque summus eius laudator et cohortator; id quod in praestantissimos omnes antiquitatis historicos, ut constat apud omnes, cadit (¹): tum nec historia philosophiae omni scriptoris super rationibus iudicio carere debet, quoniam nuda enarratio, omni illustratione ac disputatione destituta, primum inutilis fere, dein eius modo esse videtur, cuius ingenium, rei tractandae impar, quam facillime munere suo fungi studet; namque si praeterita ista debent esse salu-

(¹) Cf. gravissimum et acutissimum Aug. Böckhii V.C. de Theopompo iudicium in libro: *Staatsh.* I, 316.

bria praesentiae, ut debent ([1]), quid in iis verum, optandum, imitandum, quid contra falsum, perniciosum, negligendum sit, diligenter examinandum esse videtur.

Gravitas praeterea philosophiae quanta sit, non est quod pluribus ostendamus; „minime enim fugit te, ait Cicero ([2]) laudatarum artium omnium procreatricem quandam et quasi parentem eam, quam Graeci φιλοσοφίαν vocant, ab hominibus doctissimis iudicari: in qua difficile est enarrare, quot viri, quanta scientia quantaque in suis studiis varietate et copia fuerint, qui non una aliqua in re separatim elaborarint sed omnia quaecunque essent, vel scientiae pervestigatione vel disserendi ratione comprehenderint." — Haec sane philosophiae gravitas atque dignitas non parum iuvatur et augetur affinitate ipsius et nexu cum ceteris paene omnibus disciplinis. Ac primum quidem philosophia non ubique neque temere oritur sed plerumque, ubi hominum animos cultura aliqua capaces tantae disciplinae reddidit, maxime vero in tali civitate, cuius conditio, ob labefactam magistratuum castitatem et integritatem ac, labente disciplina, plerorumque civium corruptos mores ortamque inde omnium rerum perturbationem, satisfacere ingenuis ceterosque nimium quantum praestantibus viris eosque ad capessendam rem publi-

---

([1]) „Omnia enim philosophiae praecepta referenda sunt ad vitam". Cic. de nat. deor. I, 3.

([2]) Cic. de Orat. I, cf. de finib. IV sub fin.

cam excitare nequit; quo non raro fit, ut illustria ingenia, externarum rerum taedio affecta, removeant se a negotiis publicis inque animo suo tranquillitatem et hilaritatem eam quaerant, quam extrinsecus reperire nequeant. Ita cum ad ceterarum optimarum litterarum omnium tum praecipue ad philosophiae studium adduci solent; id quod et per se veri videtur simile et historiae documentis probatur, e quorum numero, quae Athenis et Romae, ruentibus magis magisque imperiis, evenere, verbo meminisse sat est.

CAPUT XIV.

Philosophia vero uti omni fere alia scientia adiuvatur et amplificatur et illustratur, sic etiam ipsam sua vice unamquamque adiuvare, manifestum est. Namque religio, omnium cognitionum facile prima, qua quidem continentur ideae, quas populus aliquis de Deo eiusque in mundo providentia habuit vel habet, eiusdem fere argumenti ac philosophia est nec nisi forma cognoscendi res supremas differt. Omnium autem propemodum gentium, priscarum inprimis, religiones originem traxerunt e mythis, qui imaginibus, phantasiae sollertia maxime prolatis, ideas religiosas velabant nec omni sapientia, licet cruda adhuc, carebant; id quod a recentioribus, iis praesertim, qui in explicanda Graecorum mythologia multam collocandam putavere operam, confirmatum videmus; quamquam et hîc, ut in multis aliis, nimia antiquitatis reve-

rentia nocuerit et vel doctissimos viros induxerit, ut maius in illis saepe puerilibus, utpote in hominum pueritia inventis, fabulis ingenium sapientioremque sensum suspicarentur, quam indoctae priscorum aetati concedi posse videatur. Fuisse enim constat, qui ut e priscorum poetarum commentis, Homeri praecipue, philosophiam qualemcunque exsculperent, ad allegoricam, quam dicunt, mythorum interpretationem refugere haud dubitarent, convicti nempe, *βαθύτερον νοῦν ἐγκεκρυμμένον εἶναι τοῖς ἔπεσι*, ut ait Plutarchus. Inde non ethices solum sed etiam physices principia eruebant, in quo Stoici maxime laborabant; quid? quod et abstrusissima de rebus divinis dogmata sub illo fabularum velamine latere sibi persuadebant recentiores Platonici. Sed vetustioribus etiam temporibus non deerant praeclara ingenia, inter quae Aristoteles prae ceteris est nominandus, qui nonnullorum philosophematum originem primam e priscorum vatum effatis repeterent. Nam, ut unum modo afferam exemplum, Aristoteles opinatur ([1]) venuste dictum Parmenidis: amorem fuisse deorum pri-

([1]) Aristot. Metaphys. I, 4: *Ὑποπτεύσειε δ' ἄν τις, Ἡσίοδον πρῶτον ζητῆσαι τὸ τοιοῦτον* (*τὸν αἴτιον* sc. *καὶ τοῦ κόσμου καὶ τῆς τάξεως*) *κἂν εἴ τις ἄλλος ἔρωτα ἢ ἐπιθυμίαν ἐν τοῖς οὖσιν ἔθηκεν ὡς ἀρχήν, οἷον καὶ Παρμενίδης· καὶ γὰρ οὗτος κατασκευάζων τὴν τοῦ παντὸς γένεσιν Πρώτιστον μέν* (*φησι*) *ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων· Ἡσίοδος δὲ Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα Γαῖ' εὐρύστερνος, Ἠδ' ἔρος, ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν· ὡς δέον μὲν τοῖς οὖσιν ὑπάρχειν τινὰ αἰτίαν, ἥτις κινήσει καὶ συνέξει τὰ πράγματα.*

mum, qui indigestam rudemque omnium elementorum molem in ordinem redigeret, iam apud Hesiodum Theogoniae initio inveniri. Quid? quod vel iam Anaxagoras Clazomenius Homeri carmina allegorice est interpretatus, nec non sensum iis ad mores formandos spectantem inesse arbitratus ([1]).

Quod autem attinet, ut prisca alia memorem, Stoicorum conamina, Orphei, Musaei, Hesiodi atque Homeri fabulas accomodandi ad ea, quae ipsi de diis immortalibus statuant, ut etiam vetustissimi poetae, qui haec ne suspicati quidem sint, Stoici fuisse videantur, constat, qua ratione in ipsos animadvertat Cicero ([2]). Quam difficilis veterum fabularum interpretatio allegorica esset, bene vidit Strabo([3]), de explicandis mythis vere haec locutus: „Ἅπαντα δὲ τὰ αἰνίγματα λύειν ἐπ' ἀκριβὲς οὐ ῥᾴδιον". Probanda igitur viri doctissimi hac de re videtur sententia, non magnopere nimirum adiutam esse Graecorum philosophiam ab ipsorum mythologia, utpote maxima ex parte vanas, quin etiam turpissimas, de diis opiniones divulgante, sed eadem etiam excitante hominum sapientiorum animos, ut quid verius digniusque de suprema, omnia gubernante, providentia indagari atque statui posset, perquirerent. Hinc mythologia, etsi initium certe optimo

([1]) Diog. Laert. II, c. 3, n. 7, cf. Georg. Syncell. chron. p. 149. ed. Par; Heyne comm. de Apoll. III; de Prodico Ceo Sext. Imp. adv. M. p. 311.

([2]) Cic. de nat. deor. III.

([3]) Str. X. p. mihi 474.

iure habeatur philosophiae, attamen nec ipsa est philosophia nec in historia philosophiae enarranda et explicanda; quum ideae, quae contineantur mythologia, si quae sint, non idearum propriam formam habeant sed potius poesis ritu imaginibus ideoque non philosophica ratione exponantur.

Quum vero religio et philosophia in iisdem fere summis rebus tractandis versentur nec tamen inter se omnino congruant, sed de iisdem non eadem quin saepe contraria pronuntient, utraque nempe diverso iudicandi principio diversisque inde argumentis utente; quippe cum altera quidem, recentioribus praesertim temporibus, doctrinam de Deo, e revelatione divina ortam, ita ab hominibus esse recipiendam, ut sentiatur magis quam intelligatur, contendat, altera vero, e mente libera orta, intelligentiam et rationem verissimos omnis disciplinae fontes omnique omnino idcirco alii auctoritati anteferendas ipsas censeat: — factum est, ut certamen, maxima ab utraque parte alacritate et vehementia susceptum, oriretur; e quo, turbato caeca contentione iudicio, nunc altera nunc altera victrix evaderet, nec quae tamen sola digna fuisset decisio, reconciliatio inter utramque, qua quidem religionis auctoritas philosophiae argumentis firmaretur, parari posse videretur. Dicam hac de re breviter id quod sentio.

Qui venerabili quodammodo sed ea non satis sapiente pietate adducti, ad sensa animi, nobis innata, provocent eaque sola fere in fide rebusque

omnino divinis valere dicant, in multas incidant necesse est angustias, cum criterium ([1]) illorum sensorum, quo quidem quaenam recta veraque et contra quaenam prava falsaque sint diiudicari queat, postuletur. Si enim criterium nullum omnino, aut hoc in ipsis sensis positum est, tum hominum quivis, etiam maxime nefarius et impius eodem certe iure quo pii et sancti sua qualiacunque sensa pro unice veris habere potest; nec pagani, si forte Apim aut simium deum colunt, quia esse deum in animo sentire se putant, vituperari et erroris accusari possunt. Adsit igitur regula, qua animorum obscure sensa illustrentur diiudicenturque, ne bona malaque temere misceantur omniaque perturbentur: haec autem ipsa regula non nisi e ratione originem ducere potest, quoniam cetera quidem animantia, non minus quam homines sensibus ac sensis praedita, quod ratione carent, regulam nullam agendi sequi possunt. Ratione vero ad religionem accedente, non est, quod philosophiam inimicam religioni nec cum ea reconciliandam putemus. Cavendum autem est, ne credas, quum rationi sint omnia subiicienda, sensis internis iisque primariis nihil prorsus tribui debere: est suum pretium sensis, et quaecunque ratione iuvante, praesertim de rebus divinis, investigaverimus, sentire etiam penitusqne iis penetrari, ut ita dicam, debemus; hinc nec sola sensa sine ratione

([1]) De criterii significatione et usu vide sis Sext. Empir. Pyrrhon. Hypoth. p.54 sqq.

nec sola ratio sine sensis per se vera, sed ex eorum unitate tantum et coniunctione veritatis fons manare videtur.

Eadem propemodum ratione philosophiae affinitatem et nexum cum ceteris fere omnibus disciplinis non admodum difficili negotio, si quidem nostri esset, demonstrare possemus; sed iam in his, quae ob argumenti gravitatem monenda putavimus, acquiescamus.



VITA.

Anno MDCCCV natus sum Vratislaviae patre mercatore eodemque, quod valde laetor, superstite, mater vero, iam dudum praematura morte mihi, primam vix infantiam egresso, erepta est. Litterarum rudimentis ab ipso patre institutus, florenti tum scholae, Friderici Guilelmi II. auspiciis in urbe patria constitutae, sum traditus, e qua, tredecim annos natus, primus primae classis discessi, ut gymnasium St. Mariae Magdalenae MANSONE Directore adirem. Septem ibi integros annos commoranti mihi magistris, omnis generis doctrina praeclaris, uti forte fortuna contigit; inque his ab OTTFR. MÜLLERO, de Gracae antiquitatis studiis meritissimo, WELLAUERO et KLOSSMANNIO utriusque linguae elementa didici, a KRUSIO autem, cuius de medii aevi geographia illustranda celebratur diligentia et NÖSSELTIO, clarissimi patris filio, in geographiae et historiae late patentem campum inductus atque a REICHIO mathesis et physicae principiis initiatus sum, ab ipso denique MANSONE et classicae et Germanicae litteraturae notitiam aliquam percepi. Anno MDCCCXXV testimonio primae notae instructus e ludo in academiam Berolinensem me contuli, Illustr. RUDOLPHI fasces tum tenente, et civium numero adscriptus per lustrum integrum studiis philologicis et philosophicis operam dedi et Clarorum Professorum his interfui scholis: Illustr. BOECKHII philologicis, Ill. HEGELII philosophicis, Ill. CAR. RITTERI geographicis, Ill. A RAUMERI et Ill. GANSII historicis, Ill. IDELERI mathematicis et chronologicis, Ill. OLTMANNSII astronomicis, Ill. SCHLEIERMACHERI politicis, Ill. ALEX. AB HUMBOLDTII de geographia physica.



THESES.

I.

Philosophorum discrepantia non tollit philosophiam.

II.

Severiorum disciplinarum nulla carere potest philosophia.

III.

Omnis vera philosophia est idealistica.

IV.

Socratis apud Platonem in apologia de poetarum ignorantia inanis est sententia.

V.

Pantheismi primordia ab Ionicis philosophis sunt repetenda.

VI.

Socrates non ethices solum sed etiam verae metaphysices putandus est auctor.

VII.

Platonis in Phaedone de immortalitate animi argumenta nihil probant.

VIII.

Gorgiae Leontini celebria tria ab Aristotele impugnata placita neutiquam veritate sunt destituta.

IX.

Grammatica universalis nulla est.

X.

Lingua universalis, de qua praeter alios Leibnitius quoque cogitavit, esse non potest.

XI.

E linguarum similitudine non sequitur populorum affinitas.

XII.

Formae grammaticae non formari ratione, sed excoli tantum formatae queunt.

